Adsit tibi circinus, eumque aperi donec suis pedibus extrema datorum locorum puncta attingat, hunc immotum Scalæ miliarium applica, hujusque numeri notati distantiam reddent.

Quod si locorum distantia Scalę Longitudinem excedat, tum circino sumes ipsam Scalę Longitudinem circinumque ab uno loco versus alterum toties revolves, quoties intercapedo locorum suscipere potest, adnumerando miliaria revolutionum in unum.

Collatio milliarium.

Quia vero omnium regionum milliarium quantitas ignota est, multo certius circino locorum interstitium capies, immotumque circinum Latitudinum gradibus applicabis, qui veram distantiam dabunt. multiplicando eorum numerum per cognitæ regionis milliaria.

Miliaria autem in diversis regionibus multum subinde differunt, quocirca præcipuarum differentiam huc adiicere libuit.

Milliaria Germanica communia, quibus & nos Belgę utimur	15	uni Gradui respondent.
Milliaria Germanica mediocria	12	
Milliaria Germanica magna	10	
Milliaria Gallica communia	25	uni Gradui conveniunt.
Milliaria Gallica magna	20	
Milliaria Italica	60	uno Gradu continentur.
Milliaria Anglica totidem vel ut nonnulli volunt	50	in unoquoque Gradu habentur.
Leucæ Anglicanæ	20	Gradum unum efficiunt.
Hispanicæ Leucæ	17½	
Leucæ Horariæ seu Horæ Itineris	20	
Milliaria Suevica & Scandica	10	